

Sequitur inclytae artium facultatis conclusum.

C 208. Conclusum facultatis de temporis certitudine ingrediendi ordinarias magistrorum disputationes deque habitu et modo disputandi.

Cum inclytae facultatis artium senatus animadverteret, sabatinas easque ordinarias magistrorum disputationes non rarescere solum, sed prorsus etiam vilescere ac contemni ab exteris ad nos subinde proficiscentibus, propterea quod, nescio qua desidia correpti, in ipso studiorum reformationis fervore, serius plerique, quam vel scholae nostrae gloriosum ac laudabile vel adolescentium studiis fructuosum et utile esset, disputationes ingrederemur, grosso tantum accipiendo inhiantes prope horam decimam, sic ut magistri vix quatuor aut quinque interdum per sesqui horam in scamnis conspicerentur, habitis super eiusmodi raritate aliquot maturis consultationibus pensiculataque exactius maiorum nostrorum servata in disputationibus

C 209. honestissima consuetudine toti || consilio placuit, ut pro decreto et concluso etiam in posterum inviolabiliter haberetur, id quod sequitur:

Primum, ut, quemadmodum is, qui inter argumentaturos post decanum primus sit, una cum decano auditorium statim ingredi pro veteri more debeat, et quemadmodum magistri seniores argumentaturi mox ab hora octava, priusquam decanus argumentandi finem faciat, disputationi interesse cogantur, ita caeteros quoque magistros omnes, qui grossum a facultate accipere velint, ante nonae horae signum auditum disputationem ingredi debere. Id quicumque facere negligat, sive ex prioribus sit sive ex posterioribus, illi grossum negandum esse.

Posthaec id quoque revocare placuit: debere singulos iuxta vetus statutum in scamnis manere tantisper, dum is, qui proxime quenque sequatur, argumentandi finem fecisset, ne illico vacuum reddatur auditorium, sub poena privationis grossi.

C 209. Postremo, quod ad habitum attinet, quo vel sic plures pellicerentur, || facile propter huius seculi mores consensum est, ut honeste vestiti et epomide humeris imposita in suo quisque loco sedeat, ne decorum philosophicum omnino negligere videamur¹⁾. Ita tamen ut pro byreto posthabito singuli cogitent, non pueriliter in schola philosophica rixandum nugis extemporaneis, sed doctis et exquisitis argumentis certandum esse idque cum ob studiosae iuventutis profectum tum universitatis huius, tum inclytae artium facultatis honorem. Qui contra faceret, ne illi quidem esse quicquam dandum.

Hoc conclusum, cum esset tertio et quarto a facultatis nostrae honestissimo consensu approbatum, iussus sum id in hunc conclusorum librum referre. Quod quidem fideliter feci et manu propria. *

Benedictus Deus, pater domini nostri Iesu Christi.

1544 Sommersemester. 270. Decan Melchior Wölner von Schneeberg.

C 210.
N 103.

Melchior²⁾ Wölner Nivemontanus, optimarum disciplinarum atque artium magister, concordibus electorum suffragiis facultatis artium decanus — inter duos competitores — sedens electus est Sabbato post ferias Paschatos, quae erat decima nona Apr. 19. Aprilis, anno a Christo nato millesimo quingentesimo quadragesimo quarto. Usus autem est in magistratu suo subscriptis, ut vocamus, officialibus:

¹⁾ Dazu am Rande *Istud consuetudo sustulit.* ²⁾ In N Initiale M in Gold. Anders lautet die Einleitung in C: Melchior Wölner Nivimontanus cum esset decanus communitatis artium per semestre, aestivum anno a Christo nato MDXLIII infrascriptos habuit adiutores in negotiis communitatis.